



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

XXIII. Aprilis. S. Adalbertvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

SA DALBERTVS ex Monacho Pragensis Episcopus secundus, fame, siti, frigore, vigiliis, & veste cilicinâ corpus macerauit: nemine sibi iniurium, nisi inimicum diabolū voluit. Natione vero Bohemus cum esset; in hoc vnum semper incubuit, ut patriæ suę, quae veri Dei esset adhuc ignorans, lumen fidei à S. Methodio aliquā ex parte accensum, inferret, quod ut fideliter, & audacter incepit, ita & strenue executus est. Longius deinde progressus S. Stephanum primum Hungarorum in Pannonia Regem, cum omni fere populo suo sacro baptismate abluit, & Euangelii messem illis in prouinciis primus intulit. Episcopatu expulsus, monasticam complexus disciplinā, ad vilia munia obeunda, tanquam ad epulas promptissimus erat. Ad Episcopatum reuersus, denuoque à suis electus, à Mecislao Poloniæ Duce euocatus, eundem cum omni populo suo ab Idolorum culturā auertit, & Gentilitatis errore fugato, sacræ fidei cultum in Polonia plantauit. Vbi etiam aliquandiu Gnesnensem Archiepiscopatum administrauit, & in suum locum Gaudentium suffecit, ipse in Prussiam profectus, à nefario homine, cum in caelestium rerum meditatione versaretur, conto prostrernitur; humili stratus, terra figens oscula; Benedictus, ait Deus, benedicta misericordia Dei; si plus non accipiam, pro crucifixo meo, vnum pretiosum ictum habeo. Septem denique lanceis à barbaris confosilis, manibus in modum crucis extensis, felix est factus Christi victima, sacro Parasceues die, quo mundi Saluator cruci est affixus. XXIII. Aprilis.

A. C. CMXCVII. Ex Surio.

159A III XX

H

S. ADAL-



S. ADALBERTVS EPISC. PRAG. ARCHIEP.
GENE SN. M. ORD. S. BENED
Præful ADALBERTVS docuit p[er] sacra BOHEMOS,
SARMATIAE & populos deniq[ue] MARTYR obit.

AN. 2

H 2

I. MAI.